C dem coctum, ea quæ in thorace sunt educit. Semen uerò eius nephriticis miscetur medicamentis. Folia etiam nõnihil adstringunt, ob eamq; causam succus ipsorum sanguinem supprimit.

EX PLINIO.

Porro sectiuo profluuia sanguinis sisti in naribus, contrito eo obturatis, uel gallæ mixto, aut menthæ. Item ex abortu profluuia, poto succo cum lacte mulierum. Tussi etiam ueteri, ac pectoris & pulmonis uitijs medetur. Illitis folijs sanantur ambusta, epinyctides: ita uocatur ulcus aciem hebetans, & in angulo oculi perpetim humor emanans. Quidam eodem nomine appellãt pustulas liuentes, ac noctibus inquietantes. Et alia ulcera cum melle trito. Vel bestiarũ morsus ex aceto. Item serpentium. Aurium uerò uitia cum felle caprino, uel pari mensura mulsi. Stridores cum lacte mulieris. Capitis dolores, si in nares fundatur, dormiturisue in aurem, duobus succi cochlearibus, uno mellis. Succus & ad serpentiũ scorpionumq; ictus in potu bibitur cum mero, & ad lumborũ dolores cum uini hemina potus. Sanguinem uerò excreantibus & phthisicis, destillationibus longis, uel succus, uel ex ipso cibus prodest. Item morbo regio, uel hydropicis. Et ad renum dolores, cum ptisanæ succo acetabuli mensura. Idem modus cum melle, uuluas purgat. Tostus uerò editur & contra fungorum uenena, imponitur & uulneribus. Venerem stimulat, sitim sedat, ebrietatẽ discutit. Sed oculorũ aciem hebetare traditur, inflationẽ quoque facere, quæ tamen stomacho non noceat, uentremq; molliat. Capitato maior est ad eadem effectus. Sanguinem reijcientibus succus eius cum caule aut thuris farina, uel acacia datur. Hippocrates & sine alia mixtura dari iubet, uuluasq; contractas aperiri putat. Fœcunditatẽ etiam fœminarum hoc cibo augeri. Contritum ex melle ulcera purgare. Tussim & destillationes thoracis. Pulmonis & arteriæ sanat
D uitia, datum in sorbitione ptisanæ: uel crudum, præter capita, sine pane, ita ut alternis diebus sumatur: uel si purulenta excreentur. Sic uoci uel Veneri, somnoq; multum confert. Capita bis aqua mutata cocta, aluum sistunt, & inflationes ueteres. Cortex decoctus illitusq;, inficit canos.

EX SYMEONE SETHI.

Vrinam cit, & mali succi est. Assiduè comestum uisus hebetudinẽ efficit. Difficilia inuehit somnia, & stomacho nocet. Semen genitale calefacit, & capitis dolores excitat. Iecur, renes & uesicam lædit. Confert ad hæmorrhoidas. Bis uerò aqua coctum, & aceto, garo & oleo, cuminoq; condîtum, salubre est ijs qui frigido sunt stomacho.

DE PVLMONARIA. CAP. CCXLIIII.

NOMINA.

Pulmonaria cur nominata.

VT ueteribus Græcis & Latinis nominata sit hæc herba, nondum scire licuit. Hodierni temporis medici & herbarij Pulmonariam uocant, Germani Lungenkraut. Sic autem hauddubiè appellari cœpit, quod pulmonum uitijs, exulcerationibus potissimum eorundem, præsens remedium sit.

FORMA.

Folia mollia habet, inuicem incumbentia, leniter laciniata, cauis multis prædita, superiore parte uiridia, inferiore in luteo albicantia, ac ueluti punctis aut pustulis quibusdã notata, atq; hoc nomine aliquam pulmonis humani formam referentia: unde etiam Pulmonariam dictam esse conijcimus.

LOCVS.

Prouenit in quercu arbore, & saxosis locis.

TEMPVS.



PVLMONARIA